Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 27
Quelle:
Copyright:

3) Summarium illud biblicum metricum *Alexandri de Villa Dei* O. M. quod incipit: *Sex prohibet peccant* &c. a me jam alias indicatum. 4) Verſus alii, ut *n.* 2. in quibus tamen nihil de *Laodicenſibus;* ita enim *Pauli* Epiſtolae memorantur:

Ro. Corim. et Gal. Epheſ. Phi. Co. Theſſ. Timo. Ti. Phil. Hebrae.

XVII.

U. 57 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 496. 4. per duas columnas nitide exaratus, rubricis comtus, et quondam *Collegio Epiſcopali ad S. Nicolaum* addictus ab *Joh. Fabro* Antiſtite *Vien.* ut et manus praevia et Προγεγαμμα a. 1540. typis excuſum teſtatur, eſt Exemplar ſacrorum *Bibliorum* Lectionis vulgatae hoc quidem ordine decurrens: praemiſſis *Hieronymi* Prologis conſuetis *Pentateuchus, Joſue, Judices, Ruth, Regum IV. Paralipomena* ſubjecta in margine *Manaſſis Oratione, Esdras* et *Nehemias, Confeſſio Esdre* deſumta ex ejus *Libro* IV. apocrypho c. 8. a v. 20 — 37. non ſine varietate ab editis. Tum *Proverbia, Eccleſiaſtes* praevio Capitulari, *Cantica, Sapientia, Eccleſiaſticus, Job, Tobias, Judith, Eſther* et *Machabaei.* Rurſus *Prophetae* IV. majores et XII. minores. Atque hactenus Lex vetus. *Fol.* 351. nova incipit ab *Omelia Origenis* in C. I. Joh. *In Principio erat Verbum* &c. hoc tenore: *Vox ſpiritualis aquilae auditum pulſat eccleſie* &c. Abjudicarunt ab *Origene* jam dudum Critici *Homilias* illas X. *in diverſos N. T. locos*, in quarum ſerie Noſtra *ſecunda* eſt, neque reproduxit eas *Car. Ruaeus* in edit. *Opp.* graecolat. *Pariſ.* 1733 — 59. f. extant tamen in Editionibus anterioribus lat. *Genebrardi,* puta *Pariſ.* 1619. P. II. p. 274. f. a quibus Exemplum noſtrum non raro variat. Sit ſpecimen p. 279.

Editio	Codex
Multi recipiunt Chriſtum, ſed non credunt in nomine vnigeniti qui filium Dei conſubſtantialem negant, hoc eſt patri conſubſtantialem eum affirmant, hoc eſt eſſentiam quæ pater eſt.	*Arriani recipiunt eum, ſed non credunt in nomine eius, non credunt unigenitum dei filium patri conſubſtantialem, ὁμοούσιον eum negant, hoc eſt patri coeſſencialem, ἑτοούσιον eum affirmant, hoc eſt, alterius eſſencie, quam pater eſt.*

Plenius certe Codex, quamvis pro ἑτοούσιον manifeſte legendum ἑτεροούσιον, et *Arrianorum* mentio *Origenem* autorem excludat. *Homiliam* hanc porro excipiunt *Evangelia* praeviis *Hieronymi* Prologis